



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

248. Quæ scientia requiratur in Abbate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

n. 10. quod tamen intelligendum ait Lott. n. 57. ut sciat invenire seu intelligere ex se ipso, non autem discendo ab aliis, cum ut, Gratian. *post c. 2. dist. 36.* inconveniens sit, ut tunc quærat discere, cum opus est alios docere. Porro necesse est, ut dicta scientiâ ipso promotionis tempore sit instructus Lott. *cit. n. 55.* De cetero ad arbitrandum, num impleta sit mensura scientiæ, habendam esse rationem qualitatibus beneficii curati respectu loci, cum non requiritur eadem seu tanta scientiâ in præposito cura personarum vilium, quæ in præposito curæ magnorum virorum, ait Lott. n. 59. citans Abb. *in c. cum in cunctis. n. 4. Majol. de irregul. l. 1. c. 32. n. 9.*

Questio 247. Quæ scientiâ requiratur ad Episcopatum?

Respondeo: competens aliqua notitia S. Scripturæ, mysteriorum fidei, Traditionum, Conciliorum, Theologiæ tam speculativæ quam moralis, & SS. Canonum, ut quæ sunt fidei & morum, docere, gregemque suum ab hæreticorum erroribus defendere, jus dicere, & responsa dare valeat *c. qui Episcopus. d. 23. c. qui Ecclesiasticis. & c. fin. d. 36. c. omnes. c. nulli. e. placuit d. 38. vide Less. l. 2. c. 34. sub. 24. Azor. p. 2. l. 3. c. 28. & l. 6. c. 6. q. 11. Barb. ad c. cum in cunctis. n. 7. Menoch. loc. cit. n. 15.* Non tamen requiritur scientiâ eminentis. *c. nisi. de renunc.* Sed sufficit si tanta sit adjuncta prudentiâ, & rerum experientiâ, ut erroribus & deceptionibus obnoxius non sit, sed inter bonum & malum, aptum & ineptum à suis adjutoribus vel officialibus suggestum consilium discernere valeat *Arg. c. nullus. d. 28. Laym. ad c. cum in cunctis. n. 5.*

Questio 248. Quæ scientiâ requiratur in Abbate?

Respondeo: tamen si ut inquit *Gl. in c. legi Epistolam. 16. q. 1. v. instructio,* sufficiat Monacho, quod bonus sit, quamvis illiteratus, cum, ut S. Hieronym. *in eod. c.* Monachus non docentis sed plangentis habeat officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstoletur adventum; aliud tamen est in Abbate, in quo licet non requiratur magna scientiâ, exigerur tamen sufficientia literarum pro administratione curæ animarum, cum quilibet Abbas habeat curam saltem fori penitentialis respectu suorum Monachorum Lott. *l. 2. q. 50. n. 28. ex Abb. in c. in cunctis. n. 4. unde dum idem Abb. in c. ult. de arat. & qual. n. 5.* quærit, num Abbas ignorans grammaticam debeat deponi, & responderet quod non, si aliàs sit discretus, & peritus regulæ, intelligendus non est de totali ignorantia, sed grammaticali, ita ut eam nesciens barbaritatis, & scilicet lacrimis repleat orationem. Lott. *loc. cit. n. 29. & 30.*

Questio 249. An ergo electio seu promotio penitus illiterati, vel etiam carentis istâ scientiâ, quam jus ad tale officium requirit, sit ipso jure nulla?

Respondeo primò: promotio carentis scientiâ necessariâ ad prudenter exequendum munus suum, ad quod quis promovetur, non est irrita ipso jure naturali aut divino. non enim minus necessaria est bonitas seu probitas subjecti, quam scientiâ, & tamen ab hac bonitate non ita dependet potestas Ecclesiastica, ut illius incapax sit impro-

P. Leuren. Fori Benef. Tom. 1.

bus, etsi ei fiat collatio, ea sit irrita vi legis naturæ aut divinæ. Item illiteratus sicut ordinatur validè, & recipit potestatem Ordinis, sic & potestatem jurisdictionis, quantum est ex lege naturæ seu divinæ. Et hæc certa esse ait Pass. *loc. cit. n. 47.* Nihilominus vi utriusque legis promotio taliter, multo magis penitus illiterati, est irritanda tanquam iniqua contraria fini; ad quem ordinantur officia & beneficia, & perniciosâ bono communi, & cultui divino. Unde etiam talis illiteratus sicut peccavit mortaliter recipiendo officium, ita sub mortali tenetur illud dimittere, vel saltem abstinere ab exercitio illius, usque dum se ad illud habilitet. *Nav. in c. si quando. Except. 8. num. 4. item consil. 8. num. 4. de præb. Azor. p. 1. l. 10. c. 13. q. 18. Pass. num. 48.* Verumque id est sive beneficium sit simplex, sive Canonicatus, aut curatum, modò careat quis scientiâ competente tali beneficio *Garc. loc. cit. c. 7. n. 15. Castrop. to. 2. tr. 13. d. 4. p. 6. n. 4.*

2. Respondeo secundo: sed neque ex jure positivo promotio carentis requisitâ ad munus, ad quod promovetur scientiâ, est ipso jure irrita, nisi ubi jus positivum expresse illam irritam declarat cum clausula decreti irritantis, sed solum irritanda *Pass. loc. cit. n. 50.* sic enim *c. fin. de arat. & qual. Honor. 3. promotum in Episcopum, qui nunquam didicit grammaticam, non declaravit nulliter ipso jure promotum. Trid. quoque sess. 7. c. 3. de reform.* collationem beneficiorum etiam curatorum factam non idoneis contra *Constit. Alex. 3. & Greg. 10.* non dicit ipso jure irritam, sed quod irritetur. atqui in hoc sensu intelligi possunt DD. quamplurimi docentes, promotionem hujusmodi esse irritam, nimirum à iudice competente habendam nullam & cassandâ; sæpe namque dicitur jure irritum, quod à jure reprobatur, & ipso jure dicitur irritandum. Idem dicendum de penitus illiterato, nec in hoc faciendum discrimen, tenet *Pass. n. 51.* contra *Laym. in c. cum in cunctis. §. inferiora. n. 11.* & alios docentes promotionem talis ad curatum, aut ad Canonicatû in Cathedrali esse ipso jure irritam. *Argumento cit. §. & c. ult. de ar. & qual.* eò quòd dum jura requirunt scientiam, non requirunt eam nisi sub ratione dantis idoneitatem proximam ad munia Ecclesiastica, adeòque si defectus scientiæ, competentis pro tali vel tali dignitate, vel officio sit æquè defectus simpliciter talis idoneitatis proximæ, quam defectus omnis illiteraturæ (ac parum proinde curaretur, sive quis carens requisitâ fortè scientiâ Theologica, vel Canonica destitutus sit, insuper alia literatura v. g. scientiâ legendi vel loquendi latinè, sive non) si defectus scientiæ competentis non reddit promotionem ipso facto nullam, neque id faciet omnimoda illiteratura; aut eertè si hæc id faciat, idem faciet defectus scientiæ competentis. Sed neque his obstat, quòd carens scientiâ à jure requisitâ sit irregularis, ut docent *Suar. de cens. d. 51. f. 1. n. 8. Ugol. de irreg. c. 3. Gonz. ad reg. 8. can. Gl. 4. num. 41.* nam præterquam, quòd talem esse propriè irregularem, negent *Garc. loc. cit. num. 10. Sayr. de cens. l. 6. c. 13. Sigism. à Bon. de elect. dub. 60. num. 8. & c.*

incertum insuper est, num promotio irregularis sit ipso jure irrita,

*

H

Questio